

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae  
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

**Calixt, Georg**

**Helmestadii, 1658**

**VD17 VD17 3:303575N**

Dispvtatio V. De peccato

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](#)

CX. Ex hisce nemini obscurum esse potest, eos qui hoc seculo Romanum Apollinem venerantur, non tantum ab antiquioribus, & quibuscumque sanioribus, verum à feme & suā ipsorum factione dissentire; & sufficientiam Scripturarum à suis magistris constanter assertam nunc oppugnare non nisi è desperatione, quòd intelligent malam caussam aliter defendinon posse, atque idèo ut cum rectè sentientibus videantur strenue depugnasse, fulminibus in propria viscera sèvire.

*Deus nos in veritate conservet.*

## DISPUTATIO V.

## DE PECCATO.

## THEISIS I.

V Oluntatem Dei de nobis servandis & liberandis è malis in quæ præcipites dati sumus, rectè cognoscemus ex sacrâ scripturâ, ejus voluntatisteste ac indice; ubi priùs quodnam illud malum, & quotplex, & quale, ex eâdem cognoverimus.

II. Peccatum igitur quum sit quod nos Deo invisos reddat, & ab ejus gratiâ seclusos miseriarum & pœnarum reos faciat, de peccato hoc loci tractationem instituemus, uteò commodiùs cognito morbo, de remedijs cogitemus, & qualia ea nobis divinitùs concessâ sint, consideremus.

## PECCATA-

T U M.

I. Ep. cap 3.

v. 4.

III. Peccatum benè & perspicuè describit Joannes: *η απρία ἐστὶν ἀροπία.* Quicquid igitur contra legem Dei est, peccatum est, sive sit commissio, sive omissione, sive habitus, sive dispositio, sive privatio, sive connascatur, sive agatur.

IV. Sum-

IV. Summam autem Legis contineri testatur Christus primo hoc & maximo mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex tota mente tuâ, & ex totis viribus tuis.* Et secundum ait esse simile huic: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Matt 22,37.  
Marc. 12,  
30.

V. Quoniam verò peccatum in mundum per pri-  
mum hominem introijt, & hic ante commissam divini  
mandati transgressionem peccato fuit intaminatus, ad  
cognoscendam ex oppositis peccati naturam, utile erit  
considerare, qualis homo initio fuerit conditus, quid  
lapsu amiserit, & qualis pòst exsisterit.

VI. Conditus est homo ad imaginem Dei. Imago  
Dei non potest esse in ipsâ essentiali ratione hominis.  
Neque enim Deus animam habet & corpus; neque ho-  
mo essentiam suam in lapsu amisit.

Gen. 1, 26  
& 27.  
IMAGO  
DEI.

VII. At nec talis imago in ratione animæ ratio-  
nalis consistit. Non enim dixit Deus: Faciamus animam;  
sed, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Est quo-  
que anima imperfecta natura, respectum habens ad cor-  
pus, corporeisque organis in obeundis suis muniberibus  
utens; qualis imago Dei dici nequit. Denique imaginem  
Dei homo cùm amisit, animam non amisit.

VIII. Restat itaque imaginem Dei non in substanciâ verùm in accidentibus esse; & quidem proprijs. Hæc  
autem alia naturam humanam ita consequuntur, ut ei vi  
naturalis suæ perfectionis debeantur, neque abesse pos-  
sint, nemirum intellectus & voluntatis naturales potentiae  
ad res intelligendas & eligendas; atque has imaginem  
quamdam perfectionis divinae referre quis negabit? Ve-  
rū nos negamus hoc sensu Scripturam imaginem Deiac-  
cipere, eique imaginem Adæ opponere.

M 3

IX. Alia

IX. Alia itaque erit imago Dei multis modis perfectior & excellentior, quæ non debita sit homini ratione suæ naturæ, sed sit donum merè gratuitum & supernaturale; nempe quòd sicut Deus intellige itissimus est, optimus, justissimus, liberrimum agens: ita quoq; in primi hominis intellectu fuerit cognitio sui conditoris, quoad essentiam & voluntatem ejus, quæ bonum & perfectio intellectus summa est; in voluntate inclinatio & perfectus Dei cogniti amor, procedens ex libero voluntatis arbitrio; in parte demum inferiore sive facultate adpetente suavis & promptus cum superiore intelligente & volente consensus.

Eph. 4, 4.  
Cap. 3, v. 10.

X. Sententiam hanc nostram disertè confirmat Paulus & ad severathominem τὸν κατὰ δὲον κποδέντα εἰς συναντήσην νοῆ ὄσθητι τῆς αἰλαγείας. Colossenses exuere jubet veterem hominem & inducere novum, cum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum. Post subiungit: Induite igitur (ut electi Dei sancti & dilecti) viscera miserationum, benignitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem.

XI. Hæc concreata erant homini, ita ut substantiam ejus naturaliter consequerentur sine speciali auxilio. Semel monemus nos quando in hac disputatione *naturale* dicimus, non intelligere id quod ab intrinseco & per se sit naturale sive constituens naturam humanam, ut forma substantialis; sive fluens ex principijs naturæ, ut naturales potentiae & earum propensiones: verum quod licet extrinsecus accesserit, connascatur tamen, tamquam si proveniret e principijs naturalibus. Atque hoc sensu dicimus justitiam universalem fuisse naturalem homini, hominemque naturaliter consequutam, id est, ab ipso ortu & origine ejus.

XII. Per lapsum verò & neglectum transgressiōnemq;

nemque mandati divini voluntariam (quum obedire facillimè potuisse) ipso facto avertit se à conditore suo, incurrit in justitiam infinitam, reus fit iræ & pœnarum lœsæ majestatis.

XIII. Amittit igitur bona & dona ista, quibus recedentibus succedit in intellectu ignorantia & caligo; in voluntate aversio, fuga & odium Dei: quippe quum bonitatem divinam intellectus non adprehendat, non potest ad eam inclinari voluntas. Demum sublatâ concordâ superioris & inferioris partium oritur dissensus, ita ut licet quædam bona intellectus quodammodo cognoscatur, & voluntas adproberet, aversetur tamen appetitus sensitivus, inclinans tam tum ad ea quæ sibi congrua & jucunda.

Gen. 3, 10.

XIV. Ex depravatâ hunc in modum naturâ oriuntur & eliciuntur actus atque habitus cuiuscumque generis pravi & viciosi. Nam mala arbor non potest bonos fructus facere.

XV. Hinc manifestum est, sicut originalis justitia universalis fuit justitia, ita in ejus amissâ locum successisse universalem injustitiam.

XVI. Et sicut substantiam hominis immediatè & naturaliter illa ante lapsum conseqebatur; ita consequitur post lapsum ista.

XVII. Unde quicumque ab Adamo humanam substantiam trahunt, & illam unâ tamquam accidens inseparabile trahunt. Quippe Adam liber os gignit naturâ filios iræ, hoc est, secundum imaginem suam; quæ qualis deperditâ imagine Deijam sit, ostendimus.

Gen 5, 3.

XIX. Ex malâ istâ radice in omnibus filijs Adæ mali fructus, quos Apostolus opera carnis adpellat, pululant

Gal. 5, 19.

DE PECCATO

Gen. 3, 21. 96 lulant, ita ut cognitiones cordis eorum malæ sint à pueritiat; & sic malum, quod à parentibus ad ipsos descendit, malis voluntariè superadditis cumulent.

XIX. Hinc nascitur (ut liquido adparet) distinctione peccati in Originale & Actuale.

PECCA-  
TUM ORI-  
GINALE  
Rom. 5,19.

XX. Originale in primo homine nullum fuit, sed hoc est quod ab illo primo in omnes deinceps transivit, de quo Paulus: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.*

XXI. Quid autem in primo isto peccato considerari possit, ex superioribus haut obscurum est.

XXII. Primum est ipsum peccatum, culpa seu transgressio.

XXIII. Alterum est reatus, per quem, qui culpam commisit, peccator dicitur & obnoxius est poenitentia temporalibus & æternis.

XXIV. Tertiò ipsæ poenæ, privatio scilicet imaginis divinæ & susceptio contrariae in naturam peccatricem, unde porrò ea malum operatur, iramque sibi & poenam accumulat.

XXV. Hæc omnia suis modis dici possunt ab Adamo in posteros derivari. I. Culpa, quatenus omnes potentiat fuimus in lumbis Adæ peccantis, atque ita omnes unà cum ipso peccavimus.

XXVI. II. Reatus, quatenus qui culpam commisit ad poenam ordinatur & obligatur.

XXVII. III. Hoc peccatum è vestigio consequebatur corruptio naturæ, ita ut pro sanctâ & integrâ esset corrupta, non quidem quoad substantiæ, sed quoad accidentia in substantiâ. Sicut itaque antè integritas essentiam Adæ naturaliter & permanenter ad modum

dum habitus comitabatur; ita nunc corruptio. Ergo quia essentiam ab Adamo trahimus, trahimus talem, à quâ pravitas naturaliter abesse nequit, talem videlicet, qualis in ipso est juxta imaginem ejus.

**XXIX.** Hæc pravitas sive imago Adæ residet in tribus illis animæ potentij, quæ homini, quâ homo est, competit, Intellectu puta, Adpetiturali & altero qui non per se, sed per communicationem rationalis est.

**XXIX.** Ducimus, inquam, ab Adamo intellectum naturaliter caliginosum, voluntatem à summo bono aversam, adpetitum refractarium.

**XXX.** Hæc est ipsissima ratio mali originalis. Nam culpa Adæ non potest esse peccatum in nobis, nisi contra scripturam Christus quoque peccato contaminatus dicatur. Nam & ille fuit in lumbis Adæ peccantis.

**XXXI.** Deinde non una foret ratio peccati originalis in omnibus. Nos enim, qui postremis temporibus vivimus, omnium maximè eo polluti essemus, qui fuimus in lumbis plurium peccantium. Imò foret diversitas inter nos ipsos. Aliorum enim parentes leviùs peccarunt, aliorum graviùs. Et quid? quum eadem sit ratio, quurnon in majoribus quoque benefecimus, ita ut propagentur etiam bona opera? quār non culpam per poenitentiam delevimus?

**XXXII.** Adde, quod secundum voluntatem non fuimus in lumbis Adæ. Anima enim juxta Pontificios & Bellarminum non est ex traduce.

**XXXIII.** Quare peccatum originis in nobis non est ipsa culpa à parentibus commissa; & quia culpa non est, nec est reatus, quum apertè quoque scriptum sit:

N

Filius

DE PECCATO

98

Ezech. 18, 20 *Filius non portabit iniquitatem patris, si videlicet ipse eam non adprobet aut imitetur.*

XXXIV. Formalis itaque ratio peccati originalis est imago Adæ, quam post perpetratum delictum imagine Dei privatus suscepit, & ad posteros unà cum substantiâ propagat.

XXXV. Hæc autem, ut videre est, maximam obtinet rationem peccati. Maximè enim repugnat Legi, quæ totam animam & omnes vires in honorem & amorem Dei impendi vult, & proximum diligere jubet, sicut seipsum; quamcumque demum concupiscentiam prohibet & damnat.

XXXVI. Incurrit igitur homo ob tale originis peccatum in maledictionem legis, & iram Dei, unde Paulus dicit, nos naturâ filios iræ esse.

Deut. 28, 58  
Eph. 2, 3

XXXVII. Natura scilicet corrupta est, non tantum culpam & reatum parentum participans, sed quæ ipsa non possit non peccare. Unde à primo instanti conceptionis, imò vel in lumbis parentum non est nisi in potentia ad peccandum; quæ educitur in actum mox in ipsâ infantili impatientiâ, inobedientiâ, propensione ad malum.

XXXIX. Quod autem naturale sive originale malum sit caligo intellectus, aversio voluntatis & rebello appetitus, sive quod hæc ipsa sint peccatum illud originale, perspicuis Scripturæ testimonij probari potest de singulis. De Intellectu, Rom. xii, 2 *Renovamini novitate mentis vestrae.* II. Cor. iii, 5. *Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, tamquam ex nobis ipsis.* I. Cor. xi, 14. *Homo  $\lambda\gamma\alpha\mu\delta$  non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, stultitia ei sunt.* Eph. iv, 17. *Gentes ambulant in vanitate.*

*vaniate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cœcitatem cordis ipsorum. Gen. iix, 21. Figmentum cordis humani malum est à pueritiâ. Est hîc vocula ψυχή quæ significat conceptiones & intellectus & voluntatis, sive cogitationes & desideria, quæ & Paulus vocat voluntates carnis & cogitationum Eph. ii, 3, τὰ δελέματα τῆς σωρᾶς τοῦ διαβόλου. De appetitu sensuum, Gal. v, 17. Caro concupiscit adversus sp̄ritum. Rom. vii, 19. Non facio bonum quod volo, sed malum quod nolo hoc ago &c. Rom. iix, 7. Φέρνει τὸν σωρὸν inimicitia est adversus Deum. Rom. vi, 6 dicitur, veterem hominem crucifigendum esse & corpus peccati destruendum.*

XXXIX. Ex hisce probè intellectis facile cognoscuntur & refelluntur contrarij errores Amb. Catharini & Alb. Pighij, qui peccatum originis nihil aliud esse volunt, nisi primam illam Adæ inobedientiam actualē, quæ sit in parvulis imputatione non reipsâ; atque ideo peccatum originis unum esse in omnibus.

XL. Hanc sententiam, contra Concilium Tridentinum esse vult Bellarminus, atque eam refutat, neque tamen ipse multo saniora docet, quæ ut intelligantur quadam ex ipso repetemus.

XLI. *Peccatum, inquit, bisarium accipi solet. Uno modo pro liberâ transgressione præcepti: Alio modopro eo quod remanet in animâ peccatoris post transgressionem illam. Quamvis autem hoc aliquo modo sit effectus actionis, tamen est etiam aliquo modo idem cum ipsâ actione, & ideo non per figuram metonymicâ, sed propriè dicitur peccatum, & duplex illa significatio peccati non est significatio duarum rerum, sed unius alio atque alio modo se habentis.*

N 2

XLII. Ipse

15. de amiss.  
gratiae &  
statu pec-  
cati cap. 17.

Cap. 17.

XLII. Ipse videat, quomodo actio & relatio, caussa & effectus unum sit & idem. Sententia verò ejus ex hoc principio ita habet. *Si quis igitur à nobis querat, inquit, quid propriè sit originale peccatum, respondebimus cum distinctione ad hunc modum.* Si peccatum pro actione cum lege pugnante accipiatur, peccatum originale est prima Adami inobedientia, ab ipso Adamo commissa, non ut erat singularis persona, sed ut personam totius generis humani gerebat. Si verò peccatum accipiatur pro eo, quod residet in homine post actionem, & unde idem homo non peccans sed peccator nominatur; peccatum originale est carentia doni justitiae originalis, sive habitualis aversio & obliquitas voluntatis, quæ & macula mentem Deo inviam reddens appellari potest.

XLIII. Hæc si quis consideret, videbit Bellarmi-  
num vanam tantum oculis hominum nebulam offundere,  
peccatum originis prorsus pro nullo ducere, & idem cum  
Pighio dicere.

XLIV. Præfertim si adjungatur alterum ejus  
lib. I, cap. I. principium, *Definitio puta peccati, quod ait esse dictum*  
lib. 5, cap. 18. *vel factum vel concupitum contra legem Dei.* Item: *Omne  
verum peccatum essentialiter habet ordinem ad voluntatem li-  
beram, ita ut si aliunde quam à liberâ voluntate nascatur, ve-  
rum peccatum non sit.* Itaque an peccatum voluntarium esse  
debeat, non solum caußæ, sed etiam essentiæ questio est; nec ullo  
modo imputari potest ad culpam, quod nullo modo à liberâ vo-  
luntate processit.

XLV. Definitio ista arcta nimis est, & non modò  
non omne peccatum in genere, sed nec Actuale inte-  
grum includit; verùm id tamtum, quod commissioni est.  
Alterum principium est peregrinum ad moralia & civilia  
pertinens, non ex S. Scripturâ, sed ex tertio potius Ethicorum Aristotelis depronitum.

XLVI. Sed

XLVI. Sed videamus ex hisce principijs, quid sibi velit Bellarminus. Ait peccatum originis si pro actione accipiatur, esse primam Adæ inobedientiam. Peccatum autem pro actione acceptum, verum juxta ipsum peccatum est. Inobedientia vero Adami denegatur hoc respectu nostri; neque enim nostra actio est, denegatur igitur ipsa definitio peccati Pontificia. & id quod essentiale vult esse in omni peccato, nimirum ut à liberâ voluntate procedat.

XLVII. Peccatum itaque originis juxta Bellarminum in nobis verum peccatum non est, nec ullo modo nobis imputari potest ad culpam, quod nullo modo à liberâ nostrâ voluntate processit. Nam inobedientia Adami non processit à nostrâ voluntate, nisi effectus multò prior sit causâ.

XLIIX. Quamobrem transgressio Adami non est verum, proprium, reale peccatum nostrum; sed tamtum rationale sive imputativum. Solus enim Adamus (verba sunt ipsius Bellarmini) actuali voluntate illud commisit: nobis vero communicatur per generationem eo modo, quo communicari potest id quod transit, nimirum per imputationem. Cap. 17.

XLIX. Nunc videamus de altero. Ait peccatum originis si accipiatur pro eo quod remanet in animâ peccatoris post transgressionem, esse aversionem mentis à Deo, sive parentiam justitiae originalis.

L. Aut det definitionem, quæ & hoc & illud peccatum includat, aut ingenuè concedat aliud esse causam, aliud effectum, atque hoc non verum peccatum, sed tamtum æquivocum.

LI. Sed nihil ipse aliud vult, utut simulet. Verba ejus sunt: *Quidquid dicamus in parvulis ex Adami peccato* Cap. 18.  
*hærere, sive reatum, sive aversionem, sive gratiae privationem,* sive

sive quid aliud; illud nullo modo parvulis vitio dari, ac ne esse quidem poterit, nisi processerit ab actione liberâ, cuius actionis illi aliquo modo participes fuerint. Ac reatus quidem cum sit relatio consequens actionem, quâ ratione fieri potest, ut existat in eo, qui non est particeps actionis? Averrho habitualis, nisi præcesserit actualis, ne intelligi quidem potest.

LII. Jam ostendimus, & manifestum est, transgressionem Adic non processisse à nostrâ voluntate; neque nos istius actionis, quâ talis, participes esse, neque nostrâ voluntatis, quâ tum nulla fuit, aversionem ullam actualem fuisse.

LIII. Quoniam igitur illa actio verè & propriè nobis tribui non potest, neq; nobis tribui potest quidquam eorum, quæ remanent transeunte actione. Præsertim quum juxta Bellarminum, quod remanet post actionem, sit aliquo modo idem cum ipsâ actione. Remane reverò dicit hæc octo: I privationem innocentiae. II Reatum culpe. III Reatum pœnæ. IV offendam. V dispositionem. VI aversionem voluntatis. VII privationem gratiæ. VIII maculam.

LIV. Sicut igitur actio illa non potest nobis imputari ad culpam; ita nec aversio. Et sicut illa non est in nobis aliquid revera inhærens, neque habet veram peccati rationem; ita nec ista. Et sicut illa in omnibus una est & eadem per nudam imputationem; ita & ista.

LV. Hæc ex principijs, quæ Bellarminus agnoscit, bonâ consequentiâ deduci manifestum est. Eadem igitur quæ in Catharino & Pighio damnat, ipse confirmat, & nihil nisi fumum vendit, ut aliquo modo obscureret & involvat, crassos quos Tridentini & Pontificij amplectuntur errores,

LVI.Ve-

LVI. Vera & sincera est sententia quam proponimus, quod scilicet peccatum originis non sit ipsa culpa Adæ, nec sit reatus consequens culpam: verum pravitas naturæ; non tamen sine relatione ad primam culpam, cuius est tamquam effectus immediate consequens. Sic ait August. l. 11 de nupt. & concup. xxvi: *Voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati.* Hæret itaque in nobis aliquid, & peccatum originale dicitur, quod non est ipsa illa prima Adæ prævaricatio, sed aliquid aliud ab ipsâ manans.

LVII. Optimè autem cognoscitur, ut antè ostendimus, ex oppositâ integritate; quæ sicuti in intellectu erat cognitio, in voluntate amor & pronitas ad benefaciendum, in appetitu obsequium & concordia cum superioribus facultatibus; ita pravitas hæc in intellectu est ignorantia, in voluntate pronitas ad malefaciendum, in appetitu rebello.

LIX. Et sicuti in integritate sive ad imaginem Dei conditus erat homo: ita nunc in pravitate sive ad imaginem Adæ gignitur.

LIX. Et sicuti si homo non peccasset, integritas naturam humanam semper & inseparabiliter consequuta fuisset, & unâ cum illâ ad posteros propagata: ita postquam homo peccavit, pravitas eam concomitatur & propagatur.

LX. Et sicuti integritas fuisset tamquam actus primus, actus autem secundus ex illo primo natus, studium & exercitium integratis: ita nunc pravitas ista connata est actus primus; actus autem secundus est pravitas primum actum producens.

LXI. Atque hoc notandum est. Nam in Adamo simul

## DE PECCATO

104

simul fuit uterque actus prayitatis. In infantibus verò, ubi defunt organa, per quæ produci possit actus secundus, non est nisi actus primus; sicut in ipsisdem non est intellectus intelligens, sed tantum in actu primo. Statim verò ac organa apta sunt, intellectus qui potentia erat intelligens, actu fit intelligens, & tunc simul est actu & primo & secundo: ita quoque pravitas quæ in infantibus est actu primo ad modum habitus, successu etiam erit actu secundo, sive & habitualis & actualis.

LXII. Actualis autem aversio est peccatum actualis quatenus à nobis & nostrâ voluntate proficiscitur; originale est, quatenus à connata & habituali illâ tamquam effectus à causâ procedit, & actus est secundus ejus, quæ actus est primus.

LXIII. Sed de actuali peccato postea agemus. Supersunt enim quæ de originali adhuc monere oportet.

LXIV. Originale per Baptismum ita deleri volunt Pontificij, ut prorsus non sit. Demonstravimus autem antè, id naturam humanam naturaliter consequi. Baptismus verò naturam non immutat, neque quod eam consequitur abolet. Porrò in Baptismo remittuntur peccata. Sed remitti hoc non est non esse, verum non imputari, ut patebit in disputatione de Justificatione. Deinde in hoc peccato, quod obnoxius ei sit, diserte conqueritur Paulus.

Rom. 7.

cap. ult.

LXV. Augustinus multis locis præclarè nostræ doctrina adstipulatur. Lib. i de pecc. mer. & remiss. Nec grandibus, inquit, hoc praestatur in baptismō, nisi forte miraculo ineffabili omnipotentissimi creatoris, ut lex peccati quæ inest membris repugnans legi mentis, penitus extinguitur & non sit, sed ut quidquid malum ab homine factum, dictum vel cogitatum

*cum est, cum eidem concupiscentiae subiecta mente serviret, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit, habeatur. Lib. vi cont. Julianum c. vi defendit illam suam sententiam, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur, quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen. Adversus hæc mea verba, (Julianum adlocuitur) sic argumentaris homo acutissimus, tamquam ipsam concupiscentiam dixerim per baptismum reatu liberari, quoniam dixi, reatu suo jam soluto: velut suo dixerim, quo ipsa rea est, eoque soluto illa permaneat absoluta. Quod utique se sensissem, profectò eam malam non esse dicerem, sed fuisse.*

LXVI. *Quamobrem falsa est hæc quoque Pontificiorum Tridentinorum & Bellarmini adsertio: Naturæ corruptionem sive concupiscentiam, qualis remanet post baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, non solum, quia non imputatur, sed etiam quia imputari non potest, cum nullum sit ex se vel ex naturâ suâ peccatum.* Cap. 7, lib. 5.

LXVII. *Volunt itaque Pontificij aversionem illam voluntatis habitualem (de qua supra ex Bellarmino) tamtum esse peccatum originis. Tenebras autem mentis & rebellionem adpetitus non esse; alioquin & hæc per baptismum è naturâ tollerent.*

LXIX. *Verum nos supra ex oppositâ integritate ostendimus, quod imago Adæ tam in intellectu & appetitu sit quam in voluntate. Et Christus non minus ignorantiam & concupiscentiam non suscepit, quam aversionem. Suscepit vero solo peccato originis excepto, naturam humanam, & quidquid eam consequitur, etiam famem & sitim.*

LXIX. *Augustinum consulant velim, qui lib. de pecc. mer. &c remiss. c. xxxvi, ubi agit de recentium natorum profun-*

O

## DE PECCATO

106

*profundissimā ignorantia, & mentis rationalis tenebris, in quibus  
& Deum prorsus ignorant, An nullum est, inquit, ignorantiae  
Psal. 24. malum, & non ideo purgandum? Et quid agit illa vox, Delicta  
juventutis & ignorantiae meae ne memineris? Etsi enim damnabiliora peccata sunt, quae à scientibus committuntur, tamen si  
ignorantiae peccata nulla essent, hoc non legeremus quod com-  
memoravi: Delicta juventutis & ignorantiae meae ne memineris.  
In illas igitur ignorantiae densissimas tenebras, ubi anima in-  
fantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima  
rationalis non solum indocta, verum etiam indocilis manet,  
quare, aut quando, aut unde contraria est, si naturae est homini-  
nis sic incipere & non jam virtuosa est ista natura. Sic quoque  
Hugo (ut recentiorum quoque testimonio eos convin-  
camus) lib. de Sacram. part. vii. Originale peccatum est vi-  
tium, quod nascendo contraximus per ignorantiam in mente, &  
concupiscentiam in carne.*

LXX. Quoniam igitur concedente Bellarmino,  
aversio est peccatum originis, ejusdem juris sit ignorantia & concupiscentia; Et quoniam neque haec neque  
ista deletur per baptismum, neque delebitur illa. Est enim  
omnium eadem ratio.

LXXI. Quod autem concupiscentiam vel fomi-  
tem, (ut vocant) verum peccatum esse absurdè negent,  
ex dictis liquet. Est enim parentia justitiae originalis  
debitæ inesse. Et est manifesta *accusatio*, sive accipiatur pro  
actu primo sive secundo, pro concupiscentiâ sive ha-  
bituali sive actuali.

Rom. cap. 7  
vers. 19.  
vers. 21.  
vers. 23.

LXXII. Et Paulus manifestè peccatum adpellat  
aliquoties; Et malum quod nolit se agere dicit; Et malum  
sibi adjacere; Et se legi peccati captivum fisti à lege quæ  
fit

sit in membris repugnans legi mentis, quippe scientis & adprobantis legem divinam.

LXXIII. Demum exclamat: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Scilicet ob rem nihili, & quæ nullum peccatum sit, ita exclamat Paulus & miserum se prædicat.

LXXIV. Porro scriptura neminem peccati originis immaculatum nasci tradit præter Christum. Talis enim decebat, ut esset nobis pontifex, ἐν Θ., ἀκαθ., ἀπίστα-  
το., κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἀμερικῶν. Hebr. 7, 26

LXXV. De cæteris omnibus, qui per carnalem generationem ex semine Adæ nascuntur, in hunc modum docet: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit,* Rom 5, 12. & *per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit,* v. 18. *en quo omnes peccarunt. Per unius delictum in omnes homines in condemnationem scilicet peccatum venit.* In Adamo omnes moriuntur. Eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri. Atque hæc dicit Apostolus, qui erat de genere Israël, tribu Benjamin, Hebreus ex Hebreis. Philip. 111, 5.

LXXVI. Scripturæ itaque sententia est: *Omnes homines naturali modo concepti & nati obnoxij sunt peccato originis.* Huic contradictoriam opponunt Tridentini & Bellarminus: *Quidam homo non est obnoxius peccato originis.*

LXXVII. Excipiunt enim matrem Domini. Mīrum quod non aviam quoque & abaviam.

LXXIX. Dicit quidem Augustinus: *De sanctâ virginie Mariâ propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo questionem.* Verum quod de Actuali loquatur, manifestum est ex ipsâ propositâ quæstione, adductis exemplis & verbis proximè subjunctis;

O 2

quæ

lib 4, c 14.  
& seq.  
DE B VIR-  
GIN. IM-  
MACUL.  
CONCE-  
PTIONE.  
de nat. &c  
gratiâ cap.  
36.

quæ tamen ita habent. Unde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum? Augustinus igitur de peccatis B. virginis actualibus dubius est: verùm de originali certus, ut constat ex alijs ejus compluribus dictis. De fide ad Petrum c. xxxvi. Firmissimè tene & nullatenus dubita, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci. Denupt. & concup. l. i, c. xii. Christus de viro & fæminâ nasci noluit, ut hinc etiam doceret, omnem quæ de concubitu nascitur carnem esse peccati, quandoquidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. L. v. cont. Julian. cap. ix. Quid restat ut intelligamus, nisi carne Christi exceptâ omnem reliquam humanam carnem esse peccati? Ibidem: Ille sine vi-  
tio natus est homo, quod hominum nemo. Item: Nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris æta-  
tis accessu; quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu. Sed nec plura ex Augustino adscribam, nec allegabo consensum purioris antiquitatis, quin imò saniorum Scholasticorum, Bonavent. III, dist. III, art. I, quæst. II, Durand. III, dist. III,  
quæst. I, Greg. Arimin. II, dist. XXX, q. I, a. II. &c.

LXXIX. Quamquam licet Ecclesia Pontificia festum immaculatæ conceptionis Mariæ celebret; dicunt tamen nondum ab Ecclesiâ definitum esse quid statuendum sit.

XXC. Utramque sententiam probabilem judicant, neque pro hæretico haberí volunt, qui alterutram probabiliter adserat aut neget. Ita statuit Sixtus IV A.C. ccccclxxxiii, Pontificatus sui anno XIII (*extrav. Gravé nimis, de reliquijs & veneratione sanctorum*) cuius consti-  
tutiones

tutiones innovat Concilium Tridentinum; Et Pius V in constitutione quam edidit de conceptione B. virginis. Concilium quidem Basiliense A. C. c<sup>15</sup>ccccxxxix definiuit; verum Bellarm. responsonem habet in promtu, id Concilium ab Apostolicā sede probatum non fuisse.

Seff. 5,  
Seff. 36.

XXCI. Nihil nunc dico de neglectis liquidæ scripturæ testimonij. De ipsorum constitutionibus dico, quod ijs universos homines ludos faciant.

XXCII. Ajunt nondum ab Ecclesiâ definitum esse; & tamen Ecclesia ipsorum immaculatam Mariæ conceptionem quotannis celebrat & prædicat. Quin etiam Alexander VI, Julius II. & Leo X ordinem quendam religiosum in honorem immaculatæ conceptionis institutum confirmarunt & privilegijs ornarunt, teste Belarmino.

XXCIII. Ajunt utramque sententiam defendi posse pro verâ, & tamen qui alterutram ita veram dicat, ut alteram pro falsâ & erroneâ habeat, (necessariò autem habebit, siquidem contrariam veram existimet) hæreticus continuò est & excommunicatus.

XXCIV. Neque verò soli Pontificij contra scripturas docent. Idem faciunt Anabaptistæ; cum quibus colludunt Zwinglius, neque non aliquo modo Calvinus, atque fundamenta baptismi infantium convellunt.

XXCV. Quippe illi docent, infantes nasci absque omni peccato originis, neque in istorum doctrinâ discrimen video. De fidelium certè propagine etiam Calvinus profitetur, quod sancta nascatur, contra confessionem Davidis, qui quanvis fidi patre procreatus, nihilo tamen minus, Ecce, inquit, in iniquitate genitus sum, & in peccato concepit me mater mea. Nam quod natum est ex carne, Joh 3, 6.

1.4. Iacob. c.  
16, §. 34.  
Aatid. in 6  
Seff. Trid.  
Pl. 51, 7.

caro est. Ex hoc enim quisque gignit, ut recte docet Augustinus l. II de pec. mer. & remis. c. ix, quod adhuc vetustum trahit inter filios seculi, non ex hoc, quod in novitatem promovit inter filios Dei. Ergo quis dabit mundum de immunitate? Ne unus. Job. XIV, 3.

FLACIUS  
ERROR.

XXCVI. Priusquam progrediamur ad explicandum actuale peccatum, monere necesse erit de errore Matthiae Flacij. Disputavit ille A. C. 1515 in arce Vinariensi cum Victorino Strigelio, qui ubi hujusmodi argumentum objiciebat: *Nullum accidens potest corrumpere substantiam. Peccatum originis est accidens hominis. E. substantiam humanam corrumpere nequit:* ibi Flacius quum Majorem negare debuisset, Minorem negavit, eoque prolapsus est, ut peccatum substantiam esse adfirmaret. Neque postillà sententiam istam quantumvis absurdam retractare voluit: vir alioquin doctissimus & laboriosissimus, optimeque de nobis meritus scriptis longè utilissimis, Historiâ Ecclesiastica, Catalogo testium veritatis, Clavi scripturar, &c. Natus est in Illyriæ, quæ hodiè Sclavonia, oppido Albonâ A. C. 1515, III Martij. In Germaniam venit studio & amore cognoscendæ, quæ tum temporis renascebatur, veritatis A. C. 1515 XXXIX. Obiit Francofurti ad Mœnum XI. Martij Anno C. 1515 LXXV, ætatis suæ LVI.

XXCVII. Refellitur autem non multo negocio.

Rom. 7, 17. Paulus ubi de peccato originis agit, id in se habitare diversit. Item non habitare in se, h.e. in carne suâ, bonum. vers. 18. ver. 21. Item malum sibi adjacere. Rom. IIX vocat inimicitiam c. 13, v. 1. adversus Deum. Joannes *avulsa*. Epistola ad Hebreos circumstans. Quæ omnia de substantiâ neutiquam dici possunt; de accidente vero recte dicuntur, adeoque abunde

undē probant, peccatum originis accidens esse, quod neque per se subsistat, neque sit pars subsistentis, sed insit in alio, tamquam in subiecto.

**XXCIX.** Peccatum itaque non est ipse homo, anima, mens, caro; neque de essentiā hominis, mentis, cārnis: verūm accidens eorum.

**XXCIX.** Hujusmodi enim quia justitia originalis fuit, ejusmodi quoque est, quæ in ejus locum succedit injustitia. Nam si hæc & illa formæ essent substantiales, constituerent species diversas. Homo itaque qui peccato careret, qualis fuit primus ante lapsum & omnes erimus in vitâ aternâ; & homo qui peccatum haberet, quales nunc sumus omnes: hic inquam homo & ille homo non numero tamtum, sed specie different.

**XC.** Porro Christus in extremo die integrum Job. 19. hominem resuscitabit; & nos in carne nostrâ Deum viderimus; & reportabimus unusquisque in corpore nostro congruenter ad id quod fecerimus vel bonum vel malum. Non autem Christus peccatum resuscitabit; neque nos in peccato Deum videbimus; neque in cœlestem Jerusalem peccatum intrabit, vitamque & aeternam laetiam participabit.

**XCI.** Demum solus Deus creator substantiarum Joh. 1,3. est, & omnia per Filium facta sunt, & sine ipso factum est I. Tim. 4,4. nihil. Omnis autem creatura Dei bona est, & quidem Gen. 1. valde bona. Peccatum igitur originis quia bonum non est, à Deo creatum non est; quia à Deo creatum non est, nec substantia est.

**XCI.** Manifesta hæresis Manichæorum, adserere peccatum esse substanciali, & hanc Diabolū produxisse. Ita enim Diabolus quoq; creator erit, & sicut duo principia.

**XCIII.**

XCIII. Peior autem hæresis quām Manichæorum, adserere substantiam humanam esse peccatum, & hanc nihilominus à Deo propagari & conservari. Ita enim peccatum à Deo propagabitur & conservabitur, & Deus Opt. Max. auctor peccati constituetur.

PECCATO  
TVM.  
ACTUALIS

XCIV. Explicato peccato originali, transimus nunc ad explicandum Actuale. Hoc ex altero pullulat; eidem tamen rectè opponitur, quoniam id quidem connascitur, illud autem acquiritur & adsciscitur à nobis metipsis, neque connascitur, nisi quoad originem.

XCV. Ante autem diximus, quod peccatum originis veniat quoque sub nomen & rationem actualis, quatenus dicens actum secundum non tamtum potentia est, sive ad modum habitus, sed actum elicit. Ita ignorantia connata in ætate nondum ad scientiam habili actus est primus, in ætate adultiore actum adjungit secundum, & verum actualis ignorantiae nomen sortitur. Ita in eadem aversio & concupiscentia actualiter se avertit & concupiscit.

XCVI. Hoc itaque modo tale peccatum actuale est. Originale adpellare licet, quatenus ab ista radice oritur; atque hoc sensu Paulus, ubi agit de peccato originis, id esse vult non tamtum actum primum sed etiam secundum. Hinc non malè Scotus: *Originalis culpa est quedam habitualis & vitiosa concupiscentia, excitans in nobis contra rationem desideria.*

Rom. 7.

2, dist. 30,  
ad lis.

XCVII. Motus igitur illi adipetus cùm irascibilis tum concupisibilis, quibus tamen renati non adsen-tiuntur, sed pro virili resistunt, præcipue in ijs peccati originalis reliquiæ sunt, & tolli ex carne naturaliter nullo modo possunt. Quia tamen voluntas contrà nititur, neque

neque se subjicit, non est peccatum contra conscientiam, quod fidem & Sp. sanctum excutiat.

XCVIII. Manifesta autem est *ἀριστα*, quare verum est peccatum, & suā naturā in maledictionem legis incurrit. Quoniam verò renatus in Christo vivit, & propter Christum fide adprehensum Deo plaet, non quidem id peccatum non est, verū pro peccato non habetur aut imputatur. Nam *nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu, & ambulant non secundum carnem, sed secundum spiritum.* Rom. 8, 1.

XCIX. Notetur hoc loci egregia hæc Augustini sententia: *Sicut, inquit, cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, quā cor superbum dignā animadversione punitur; & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati est defectione consentientis vel contagione nascentis.*

C. Hinc habemus primam distinctionem peccati Actualis. Aliud nimirum esse partim originale, partim actuale, modo quo explicavimus: Aliud purè Actuale. Illud inevitabile esse; hoc evitari posse.

CI. Peccatum quod nunc purè Actuale dicimus, quod scilicet à nostrâ actione procedit, aliud Voluntarium est sive deliberatum, aliud Fortuum sive Involuntarium.

CII. Hoc maximum respectum habet ad peccatum originis, cuius tamquam pœna est, quo respectu sublato, numquam tale quid accideret. Ut si quis

I. 5 cont. ju-  
lianum Pe-  
lag. e. 3.

DISTIN-  
CTIO PEC-  
CATI AG-  
TUALIS.

ligna findens adstantem occidat, excusâ asciâ ex manubrio.

CIII. Voluntarium peccatum aliud purè voluntarium est, aliud mixtum.

CIV. Purè voluntarium est quod committitur à scientibus, tale quid peccatum esse & contra legem divinam, nihilominus tamen idem volentibus & adeptentibus. Atque hoc peccatum ~~ex concupiscentia~~ est contra conscientiam, regnans, fidemque & Sp. Sanctum excutit. Quali quamdiu quis obnoxius est, non habet ille hæreditatem in regno Christi & Dei, neque vitam in se manentem.

1. Cor. 6, 19.  
Gal. 5, 19.  
Eph. 5, 5.  
1. Joh. 3, 19.

Matt. 12, 31.

CV. Tale autem committitur vel in proximum, vel in Deum; & in Deum aut Patrem, Filium, aut Spiritum sanctum. *Omne verò peccatum & blasphemia remittetur hominibus, at Spiritus blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Sp. Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Sed de peccato in Sp. sanctum posterius agemus.

CVI. Porro peccatum quod partim voluntarium partim involuntarium diximus, aliud coactionis, aliud ignorantiae est, & ignorantiae vel legum vel circumstanciarum.

CVII. Hæ sunt partitiones peccati actualis defumtae ab ejus causâ efficiente proximâ, nimirum voluntate humana.

CVIII. Alia defumi potest ab objectis circa quæ versatur. Sunt autem alia res divinæ, & alia humanæ sive mundanæ; & harum aliquæ intellectu adprehenduntur, ut honor, opes, scientia; aliquæ sensibus, ut cibus, potus,

potus, concubitus. Peccatum igitur circa res divinas est impietas, ignorantia, incredulitas, desperatio; dici potest spirituale. Circa humanas prioris generis ambitio, superbia: posterioris intemperantia, incontinentia. Carnalia recte appellantur, hæc quidem Externa, illa Interna.

CIX. Porrò desumitur distinctio à subjectis, in quibus peccata sunt, aut à quibus procedunt. Ita in intellectu sunt pravæ cogitationes & ignorantia: In voluntate invidia, dissidentia: In appetitu intemperantia, libido.

CX. Sunt autem horum alia habitus, alia actiones quibus habitus adquiruntur, & quæ per habitus adquisitos eduntur. Actionum aliæ immanent, ut cogitationes, indignationes: aliæ transeunt, ut homicidia, adulteria, furga.

CXI. Præterea sumitur partitio à lege indice peccati. Aliud enim Commissionis cum lege prohibente, aliud cum imperante pugnans Omissionis dici solet.

CXII. Peccata quæ sub hisce partitionibus continentur convenient omnia in formal i ratione peccati, nimur in *εργα*, quæ est privatio conformitatis ad normam legis divinæ, quæ adesse debebat in intellectu, voluntate & appetitu; ut & in positivis habitibus & actibus eorundem.

CXIII. Ob quamcumque itaque talem privationem incurrit homo in hanc Legis sententiam: *Maledictus Deut. 28,83 omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.*

CXIV. Quantum igitur ad rationem formalem,

P 2

non

non est distinctio peccatorum, nisi secundum magis & minus; neque enim nos sicut olim Stoici, item Jovianus & Pelagius omnia peccata paria esse docemus, qui scimus ab ipso Christo gravitatem pœnarum exasperari secundum gravitatem delictorum, Matth. v, 22. Luc. XII, 45. Verum hoc speciem non variat.

PECCA-TUM VE-NIALE ET MOR-TA-L.E.

J. 2, disp. 6,  
q. 18, pun. 1

Matth. 5, 19.

I de Parad.  
c. 14.

CXV. Quamobrem distinctio, quâ peccatum in Mortale & Veniale dispescit, & illud esse dicitur, quod maledictionem & mortem meretur; istud, quod non meretur, neque est contra caritatem Dei & proximi, ut docet Bellarminus: hoc inquam contrascripturam est.

CXVI. Quodcumque enim cuiuslibet peccatum Deo inimicum est, & naturâ suâ mortem meretur. Est enim *irupia*. Ipse Gregorius de Valentia, *Fatendum est*, inquit, *in primis, quod omnia peccata atque adeò venialia etiam sint contra legem, ut disertis verbis adfirmat D. Bernhardus*. Quomodo itaque non sint contraria caritati Dei & proximi? Accedit, quod offendens in uno, reus fiat omnium, *Jac. 11, 10. Servator perspicuis verbis: Qui solverit unum de mandatis iustis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum.*

CXVII. Quod itaque ad eum modum non imputetur, non est de intrinsecâ ratione ipsius, verum accidit ei, quatenus est in renato, vel quatenus qui peccavit pœnitentiam agit. Si itaque Mortale sit quod auctu mortem inducit, Veniale quod non inducit, quamvis inducere posset; distinctio non est intrinseca, neque ex naturâ rei, sed extrinseca, ab accidentario eventu desumta. Atque ita omne peccatum veniale esse posset, quatenus remissio ejus per fidem in Christum impetrari potest. *Venialis culpa*, ait Ambrosius de ipso Hevæ peccato, *quam sequitur professio delictorum*.

CXVIII. Ve-

CXIX. Venialia igitur peccata hoc sensu sunt in renatis motus pravi, quibus voluntatem non permittunt succumbere; imò ipsa quæ regnare patiuntur, modò ad pœnitentiam revertantur, qualia fuerunt adulterium & homicidium Davidis. Ne autem concupiscentijs succumbamus hortatur Paulus, ubi ait: *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore.* Item venialia sunt peccata non renatorum quæcumque, si convertantur, doleant & Christum fide amplectantur.

CXIX. Quoniam verò expiari, remitti & deleri non est de essentiâ ullius peccati, neque ullum peccatum necessariò consequitur, satis constat omne peccatum suâ naturâ mortale esse, nullum yeniale, nisi ex accidente.

CXX. Postremò de peccato in Sp. sanctum monobimus, quod irremissibile esse suprà dictum est. Est autem tale peccatum voluntaria & perseverans veritatis cognitæ inficiatio & persequutio. Hoc clarè colligitur ex Matth. xii, Marc. iii, & Luc. xii, quibus in locis Servator hujus peccati meminit & remissibile esse negat. De eodem intelligenda sunt loca in Epist. ad Heb. c. vi, v. 4, & seqq. & c. x, v. 26.

PECCA-  
TUM IN  
S.P.S.

---

### DISPUTATIO VI.

#### DE PRÆDESTINATIONE.

##### THEISIS I.

**S**uperiore disputatione ostensum fuit, in quas quantumque per lapsum primorum parentum devenerimus miserias, quarum quidem aliæ connascantur, aliæ è connatâ radice pullulent, & à nobis metipsis superaddantur: